

## CAPUT PRIMUM.

In quo Praefatio, & Supplicatio ad CLEMENTEM PP. XII. directa ab Auctore Theologiae Supplicis, examinatur & corrigitur.



**I.** REDITUR telam suam Auctor Theologiae Supplicis a descriptione duplilis generis refractoriorum Constitutioni *Unigenitus*; quorum unum aperto Marte, alterum recte & per cuniculos, licet eam religiose videri velit accipere, irreligiose tamen & irreverenter adulterat. Ea propter voluisse opportunam congruentemque Constitutionis Clementinae defensionem suscipere; qua illius oppugnationes exarmet, hostilesque conatus infringat; puram nitidamque, & castam explicationem per singulos illos articulos edendo &c. Duplex esse genus adversariorum Clementinae Constitutionis, ac utrumque ejusdem purae & simplici receptioni non parvam attulisse remoram, negare est velim, non postum: postquam id etiam expressum video in Vita Clementis XI. edita Urbini anno 1727. Operis scilicet publica fide dignissimo; cuius auctori; (1) *Benedictus XIII. P. M. omnia prorsus, etiam arcanis mandata litteris documenta, que scriptis prodesse possent, ab Archivorum Apostolicae Sedis Custodibus, singulari humanitate, atque beneficentia communicari iussit.* De primo adversariorum genere nulli dubium esse potest; de secundo vero in opere cit. ita logo: (2) *Negue deserunt, qui tametsi Quaesnellianis, ut Catholicos decebat homines, essent adversi, & Clementinae Sanctioni obsequerentur, licentia nihilominus parvillustres utriusque Sanctissimi Doctoris (Augustini & Thomae) scholas criminabantur: sua alia de causa interesse rati, id calumniae genus vulgo alere. A horum hoc nem Pontificium diploma (Pastoralis officii) tempestive compressit audaciam.*

II. Huiusmodi calumniarum, praeterebant primi generis refractorii suae inobedientiae; prout in Vita Clementis XI. & in Constitut. (3) *Pastoralis officii*, videri potest; quae dein confirmata ab iis qui Constitutionem *Unigenitus* se admittunt assererant, non poterat non retardare debitam huius acceptationem. Quapropter non Clemens XI. tantum, sed sequentes etiam Pontifices huiusmodi calumniarum solliciti; uti mox dicetur; dissipare sunt conati. An vero Auctor *Theol. Suppl.* contra utroque Constitutionis adversarios opportunam congruentemque defensionem, uti ait, (4) *putam nitidamque & castam explicationem per singulos illos articulos edendo suscipiat, ex dicendis tota hac descriptione, Lector prudens iudicabit.* Mihi omnino idem statuendum de explicationibus *Theologiae Supplicis* videtur, quod Auctor Vitae Clementis XI. (5) de explicationibus cuiusdam Praelati Comitii generalibus Gallicanis anni 1714. exhibitis, statuit, nimirum: *Obiecta saepe expositionis rogantibus exemplum, . . . id tandem exhibuit specimen, quod Apostolicam Constitutionem, non jam tueri, munire, servare integram; sed eludere, oppugnare, evertire; cum etiam proscripseris in ea asseriones palpares, firmare, ac veluti subsidiario umbone tegere videbatur.*

III. Deinde convertit orationem ad Clementem XII. sel. reg. *Theologia Supplex*, Tametsi, inquit, (6) Pontificiae dignitatis injuria videri possit, factam in Petri sede decisionem aliquam, nisi prius ab ipso explicetur iudice, accipere nolle; nulla tamen injuria fuerit, sed cultus potius, obsequium, observantia, cum semel decisionem Pontificiam reverenter receperis, illius demum explicationem, ut & observari religiosius, & contra oppugnantem defendi validius possit, suppliciter postulare.

IV. Sed cui creditur Auctor ille, imposturum se, quod Constitutionem Pontificiam reverenter receperit, dum in eodem libello postulat sibi aperiri, fuerintne S. Scripturae, Conciliorum, SS. Patrum sententiae; an vero sensus aliqui, qui Quaesnellii fuerint visi, putati, crediti per Sanctiorem *Unigenitus* damnati? An Summo Pontifici, Eminentissimisque Cardinalibus? Non cogitavit ergo esse Romanos; (7) uti S. Cyprianus ait: *ad quos perfidia habere non possit accessum?* Dudum cuniculum illum evertit Clemens XI. dum in Constit. *Pastoralis officii* ita fatatur, Deinde ne quis Christianum populum seducere pergat inanibus verbis, vos omnes, ut necesse est, monitis volumus, & certos facimus, quod frustra, & quidem non sine sermone malitiae & nequitiae, istiusmodi homines nobiscum in doctrina religionis consensivo se jactant, dum interim heterodoxorum exemplo praesente, editam a nobis Constitutionem, quam Universae Ecclesiae veneratione debita complectitur, non modo alienis ab ipso verborum tenore interpretationibus, sed & apertis calumniis superinductis, maligne carpere audent; & immanium errorum accusatione perstringere; perinde ac si ipsi soli, aliis Christianis ubique gentium desipientibus, saperent: ipsi soli reliquis caecitentibus, lumen veritatis aspicerent. *Nec profecto minor est eorum culpa, qui, ut facilius incautus illudant, cum haec ipsa moliantur, eidem Constitutioni nostrae nequaquam adversari, sed solas declarationes, in rebus tamen apud ceteros omnes plane perspicuis, postulare se simulant: non quidem discere, sed tentare cupientes, ut Ecclesiam, si possint, quaestionibus inutilibus & interminatis immisceant, & luci catholicae veritatis tenebras quoquo modo obscuritates offundant.* Ita sane patientia nostra abutentes, Apostolicae auctoritatis obsequium, & reverentiam se exhibere gloriantur illo ipso tempore, quo ei gravissimum inferunt injuriam. Idem siquidem explicationibus factis aperte ostendunt, ideo se Constitutioni nostrae debitam obedientiam nondum praestitisse, quia verentur, ne per illam catholica dogmata convellantur; no laudabilis, & ab hac S. Sede probata Ecclesiastica disciplina infringatur; neve demum salubres Christianorum morum regulae subvertantur. Quod plane idem est ac vereri, ne desereris fides Petri, totaque Christi Ecclesia Magisterio Apostolicae vocis imbuta, a via veritatis

& salutis erraverit. Quae verba tam apte quadrant proposito, ut applicatione nostra non egent.

V. Pergit idem auctor. (1) Sensum damnatarum propositionum ambiguum esse, unde confuso in Theologica disciplina. Fideles quibus factis non est acuminis ut damnatum sensum ab indenni fecerant, putare, SS. Patres sub Quaesnellii corio, atque Concilia vapulare. Vafros quosdam Scribillores, Augustinum tandem in ordinem redactum effutire, Episcopos inter se divisos: unam & eandem doctrinam alibi catholicam, alibi haereticam audire. Sublatam scholis catholicis libertatem. Haereticos violatam Clementina Constitutione catholicam fidem, rescissam eorum disciplinam, instauratum Pelagianismum effutire; citato, nescio cuius *Frichii* ministri *Umenis* famoso libello, queritur. (2) Huic malo non alia via occurri posse autumat, quam si promissa a Clemente XI. explicationes, ubi semel Constitutionem suam Universae Ecclesiae accepissent, debitamque obedientiam praestitissent, promulgentur. Non sufficere huic malo si generatim declararetur propositiones in sensu damnatae auctoris fuisse proscripitas, non in sensu Augustiniano & Thomistico, qui sanus semper & orthodoxus esse habitus: quod inventi sunt nostra aetate Molinianae scholae professores (Liberius Gratianus, Denunciatores Herminiani & Haberti) qui gratiam se ipsa efficacem, qualis in Schola Thomistica traditur, purum putumque Calvinii atque Jansenii errorem dicere, scribereque non erubuerunt. Quod in aliquibus sensus frustra queratur auctoris, in quo re ipsa non extant, sed mutuae ac detruncatae censorum iudicio subiectae sint; ut 29. & 59. &c.

VI. Quamquam ad haec omnia respondeatur in expositione propositionum condemnatarum, omittere tamen non possum, quin hic aliquid obiter dicam. Quod ergo spectat simplices fideles, quibus non est factis acuminis ad discernendum pravum propositionum sensum; securi illi esse poterunt adhaerendo Jesu Christi in terris Vicario, Successori Petri, Pastorum Pastori Romano Pontifici: dicendo non minus confidenter quam humiliter: *Si error est quod sequimur, Domine, a te decepti sumus.* Sanctos Patres aut Concilia sub Quaesnellii corio vapulare, tantum adest ut in mentem veniat simplicium fidelium, quibus a juventute inculcatum est, *Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis, adversus quam porta inferi nusquam praevalerunt,* quam, quod Deus sic infidelis in promissis suis. De Haereticis qui nusquam cessabant coaxare contra Ecclesiam, nisi haec, si superis placet, eorum errores acceptet, non tantopere est curandum. Augustinum per Const. *Unigenitus* in ordinem redactum, pura calumnia est ab ipso Clemente ac Successoribus Pontificibus abunde refuta. Episcopos inter se divisos; eandem doctrinam alibi catholicam, alibi haereticam audire, plus aliquid momenti videri habere. Si haec constabant auctori, probarique poterant, non erant libello typis edito, eoque anonymo divulganda; nec Pontifici praescribenda leges, quibus deberet mediis hinc occurrere malis. Scripto humiliter & respectuoso, ut in similibus solebant SS. Patres, exponendo periculum, rogando ut modo bene sibi viso iis occurreret Pontifex, potuisset auctor muneri suo facere factis. Sublatam catholicis scholis libertatem, mera fictio est, quae ex iis, quae in dies accidunt in scholis & disputationibus in Urbe & Orbe, falsitatis convincitur. Quod scribillores illos spectat, qui

Scholam Thomisticam, Constitutionis *Unigenitus* obtentu, aggressi sunt; sane hi plus profuerunt scholae nostrae odio suo, quam potuissent unquam amore prodesse. Exinde enim habemus quatuor omnino recentissima Pontificia Brevia, quae scholae nostrae doctrinam a damnata Jansenitica & Quaesnelliana fecerunt: exinde confirmata omnia Encomia a Clemente XII. quae praedecessores illius scholae nostrae contulerant: exinde amplissimum illud Privilegium conferendi gradus Academicos Secularibus adolescentibus: exinde doctrinam nostram de gratia per se efficacia & praedestinatione gratuita ad gloriam, quam adversarii rursus ceperant negare esse SS. Augustini & Thomae, horum SS. Doctorum esse, Pontificio Oraculo tenemus: exinde habemus sub Canonice poenis vetitum, ne quis, non dico ullas centuras in scholam nostram intorquet, sed quidquam doceat, scribat, praedicet, quod huiusmodi censuras possit quovis modo promovere aut firmare. De quibus omnibus videnda Brevia Pontificia: *Demissas praesces -- Verbo Dei scripto & tradito -- Apostolicae providentiae, respective a Benedicto XIII. & hodierno Pontifice Clemente XII. promulgata.* Si his nihil obstantibus, non se intra debitos cancellos contineant adversarii, speramus etiam meliora.

VII. Satis porro mirari non possum auctorem illum non erubuisse obijcere, aliquas propositiones reapse non extare in Quaesnello, ut 29. & 59. ipsum, qui ausus est truncare & mutilare propositionem 54. & 73. Quod spectat ad vigesimam nonam, qui dici possit eam non extare in Quaesnello, non video. Sic quippe lego in edit. Gallica Operis Quaesnell. an. 1693. & 1696. *L'eglise est la maison du salut; hors d'elle point de grace, point de guerison, point de vie.* Lucae 10. v. 36. *Querebam a viro insigni, natione Gallo, qui mihi edit, an. 1696. humanissime exhibebat, quid sibi vellent particulae illae point de grace &c.* Respondebat illico: *Nulla gratia, nulla salus, nulla vita.* Et dicit propositionem illam non extare in Quaesnello? Sed truncata est & mutila. An quod non sit additum, *Nulla salus, vita nulla?* Aut propositio quoad illas particulas est damnabilis, aut non est. Si posterius, non debebant exprimi; si prius, ex additione illarum nihil fiebat melior. Multa etiam alia fuisse omiffa, etsi damnabilia, monet ipsa Constitutio *Unigenitus* §. Ceterum. Cur ergo propositio haec mutila dicitur? (3) Quia, inquit, *Theol. Suppl.* loquitur Quaesnellus de gratia salutem & vitam operante; & hoc non est expressum in Const. *Unigenitus*. Sed errat longissime a mente Quaesnellii: tum quod de vita & salute postea addatur apud Quaesnellum: *Nulla salus, vita nulla*; tum quod To Non, sit signum universale negativum, totum quod post se reperit, destruens, ut ajunt Dialectici: denique, talis explicatio repugnet aliis Quaesnellii propositionibus, nominatim 26. nimirum: *Nullae dantur gratiae nisi per fidem: & 27. Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*; ergo extra Ecclesiam, ad quam non pertinemus nisi per fidem, juxta illa principia, *nulla datur gratia.* Nulla igitur hic detruncatio, nulla mutilatio, quae mutet sensum, sed totus & integer sensus propositionis damnabilis expressus est: maxime si attendamus regulam I. sequenti capite assignandam.

VIII. Quoad propositionem 59. nihil plus difficultatis est. Sic habet Constitutio: *Oratio impiarum est novum peccatum; & quod Deus illis concedit est novum in eos iudicium.* Apud Quaesnellum

(1) Praef. n. 3. (2) Lib. 4. n. 37. (3) Ibid: (4) Pag. 5. (5) Lib. 4. n. 37. (6) Pag. 9. (7) Epist. 55. alias 52.

(1) Pag. 12. (2) Pag. 14. (3) Pag. 94.

nellum in versione latina an. 1695. quam conformem esse edit. 1694. ostendam, lego Joan. 10. v. 25. Impiorum oratio novum est peccatum; quodque Deus eis imperit, novum eis iudicium est. Cedo, quae illic deturcatio aut mutilatio? An quod termini fiat nonnihil transpositi: Oratio impiorum, impiorum oratio? An quod in prima dicitur, Et quod, in secunda, Quodque? An quod in una, Est novum in eos iudicium, in altera, Novum eis iudicium est? Nuga. Nihil mutat ea diversitas de sensu. (1) Sed, inquit, loquitur Quaesnellus de oratione iniquo, maligno, arroganti, ingrato, fallaci animo facta. Nego suppositum, quod peccator, in principis Quaesnelli possit aliter orare: quippe iuxta propositionem eius 45. Amore Dei in corde peccatorum non amilium regnante, necesse est ut in eo regnet carnalis cupiditas, omnesque eius actiones (adeoque & orationem) corrumpat. Gravius est quod addit; (2) Considerationem subiungit auctor his verbis expressam: TALIS oratio impiorum est novum peccatum. Cum multa sint editiones libri Reflexionum Moralium, debebat auctor iste addere in qua editione id legerit. Expresse dicitur in Constitutione Unigenitus propositiones damnatas extractas esse respectu ex editionibus anni 1693, 1694. & 1699. igitur incumbat ei ostendere, To Talis reperiri in illis editionibus. Sic lego in editione Gallica anni 1693. La priere des impies est un nouveau peché; & ce que Dieu leur accorde, un nouveau jugement sur eux. Ubi, ut vides, abest To Talis. Abest quoque ab editione Latina 1695. Editio alia Gallica 1699. ad manum non est. Fateor tamen ingenuè quod invenierim editionem anni 1696. in qua legebatur: Une telle priere, Talis oratio. Sed hoc ad rem non facit, cum illa editio in Constitutione Unigenitus non citetur: ostensumque sit, tale assumentum repugnare principiis Quaesnelli: ipsaque additio 1696. satis ostendat propositionem rite fuisse damnatam.

IX. Videamus nunc an ipse tam confidenter afferens, quasdam propositiones Bullae Unigenitus non haberi in Quaesnello; sed esse deturcatas, mutilatas; nullam mutilaverit, detruncaveritve. Occurrit primo prop. 54. in Constit. Unigenitus his verbis expressa: *Sola charitas est, quae Deo loquitur: eam solum Deus audit.* Hanc media sui parte obruncat Theol. supp. pag. 123. ita scribens, Propositio 54. *Sola charitas est, quae Deo loquitur.* Propositio 73. sic habet in Constitutione Unigenitus: *Quid est Ecclesia, nisi cœtus Filiorum Dei manentium in eius sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in eius persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri Seculi?* Concordant per omnia Reflex. Morales Quaesnelli Edit. 1692. & 1696. 2. Theſſal. 1. v. 2. ubi prior sic habet: *Qu' est-ce que l'Eglise, si non l'assemblée des enfans de Dieu, demeurans dans son sein, adoptés en Jesus-Christ, subsistans en sa personne, rachetés de son sang, vivans de son esprit, agissans par sa grace, & attendans la paix du siècle avenir?* Secunda editio sic habet: *Que est-ce que l'Eglise, si non l'assemblée des enfans de Dieu, qui demeurent dans son sein, qui sont adoptés en Jesus-Christ, subsistent en sa personne, sont rachetés de son sang, vivent en son esprit, agissent par sa grace, & attendent la paix du siècle avenir?* Edit. Latina an. 1695. *Quid aliud est Ecclesia quam congregatio filiorum Dei, in sinu ejus manentium, adoptatorum in J. C. in persona ejus subsistentium, sanguine ejus re-*

demptorum, ex spiritu ejus viventium &c. Quid vero Theologia supplex? Pag. 84. sic lego: Prop. 73. *Quid est Ecclesia, nisi cœtus fidelium Dei, manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri seculi?* Non video hic verba illa: *subsistentium IN EJUS PERSONA, REDEMPTORUM EJUS SANGUINE, VIVENTIUM ejus spiritu;* Gallice: *Subsistans EN SA PERSONNE, RACHETES DE SON SANG, VIVANS DE son esprit;* vel juxta edit. 1696. *qui subsistent EN SA PERSONNE, SONT RACHETES DE SON SANG, VIVENT en son esprit?* Ubi, inquam, sunt ista? aspicio, & iterato inspicio, recurro ad errata, nullibi illa comparant. An hoc est detruncare, mutilare propositiones? Nonne hic aptissime repetitur illud Gregorianum *De cura pastor. par. 2. cap. 2. Necesse est ut esse munda studeat manus, quae distere aliorum sordes curat, ne tacta quaeque deterius inquinat, si sordida in se mens lutum tenet?* Suppono tamen omnia bona fide esse facta, Deo fide permitte, ut auctor Theol. suppl. inde non exiguum fructum, si velit, capiat. Si enim in re tam obvia, tam palpabili errare potuit, & erravit; nonne prudentia dicitur ut de se ipse diffidat in aliis non ita obviis ac palpabilibus, puta, in sensu propositionum damnatarum adjudicando? Eja ergo, quisquis es libelli istius auctor, ne inuitatis prudentiae tuae; subijce potius iudicium tuum, Pastoris universalis, cui universa adhæret Ecclesia, iudicio, condemnantis centum & unam propositiones, & earundem condemnationem jure divinitus sibi collato ab omnibus fidelibus exigentis. Si scirem te retardari noxio pudore agnoscendi errorem tuum, proponerem exempla fumorum Theologorum Augustini & Thomae, quorum existimationi & famae nihil detractum est, quod cespitationes suas aliquas postmodum emendaverint, agnoverint, & posteritati relegendas descripserint: quin potius aucta est gloria ipsorum: quod nedum de aliorum, quod multis commune est, sed suis ipsorum erroribus, quod rarissimum, triumphaverint. Ecce, in manu tua est eadem cum ipsis gloriam apud posteritatem adipisci.

X. Prosequitur (3) Theol. supplex, generalem declarationem, qua Quaesnellianae propositiones, Calviniano dumtaxat ac Janseniano, non Augustiniano & Thomistico sensu damnata dicerentur, remedium huic malo minus integrum allaturam: *Cum earum bene multe nihil cum Jansenianis aut Calvinianis erroribus commune habeant.* Futilius longe esse multo, si Quaesnellianae damnatae simpliciter declarantur, in sensu obvia, quem verba ipsa praeserunt: quod propositiones ex ipsa verborum textura ambiguae, & aequivocae, sensum per sese obvium non habeant: quod in assignando obvio sensu, non omnes convenienter Theologi; sed, prout varie sunt affecti & diversis imbuti principis, alius alium sensum obvium experiant; alium Thomista, alium Molinista. Aliud ergo non agnoscit remedium, nisi quod distincta & individua damnatarum propositionum explicacione, quis in singulis damnatus sit sensus, quae cuique propositioni affecta sit nota, Theologis innotescat. Calliditatis liquidem plenum esse, quamcumque propositionem, cui pravus forsasse sensus subest, explicacione non egere, ut juste damnetur; quamquam in rectum sensum secti commode possit: sed absolute, nullaque sensuum adhibita distinctione configi in Ecclesia consuevisse.

Esti

Esti enim ea variorum discretio sensuum in ipsis districtis censuris facta non sit: ubi tamen ex latis censuris oborta sunt turbae, contentiones & rixae, tunc certe pastoralis charitatis fuisse, ne dicam, inquit, muneris & officii, varios damnatarum sensus exponere, & in quem censura ceciderit, declarare.

XI. Sic, cum anno 270. (1) Synodus Antiochena haec Pauli Samosatani propositionem, *Christus est secundum Patri absolute damnasset;* Nicænam subinde Synodum, ut Arianis ea damnatione turper abusus ora praecederet, ambiguae vocis hujus *secundum* varios sensus exposuisse. Sic, cum haec Eutychnianorum assertio, *Una est verbi incarnati natura,* in Concilio Chalcedonensi, absolute proscripserit; tumultuantibus postmodum Eutychnianis, Gelatium Rom. Pontifici, varios ambiguae per sese propositionis sensus, libro contra Eutychnen scripto exposuisse. Sic cum Hormidas Scytharum Monachorum assertionem, *Unus de Trinitate crucifixus est carne,* absolute proscripserit, si minus ut haereticam, ac certe uti pro conditione temporum periculosam; secutus tamen temporibus, cunctisque fidelibus Eutychnianum sensum rejicientibus, hanc ipsam propositionem in catholicum sensum inflexam, Joannem II. Rom. Pont. approbasse & catholicam dixisse: probatamque fuisse deinceps a V. Synodo & a Concilio Lateranensi sub Martino V. (2) Sic cum VI. Synodus Honorii ad Sergium epistolae, ejusque memoriam absolute damnasset; Joannem tandem IV. explicato obscurarum Epistolarum sensu, Honorium erroris absolvisse. Sic cum Benedictus II. binas S. Juliani Toletani Archiepiscopi propositiones absolute damnasset: turbatis subinde Hispanorum Praefulum animis, Sergium I. innoxias dixisse & censuram liberat. Ita fere Theologia supplex.

XII. Ut ab his me breviter expediam, respondeo ad primum: Quod, si non omnes Quaesnelli assertiones quidquam commune, cum Calvino & Jansenio habeant; vix tamen ulla sit, quae non aequaliter coincidat aut eum illorum, aut cum Lutheri, Wicleffi, Hussii, Mar. Anr. de Dominis, Erasmi &c. erroribus, uti postmodum ostendere conabor. Cum autem fateatur Auctor ille, saltem tacite, nonnihil remediū allatum iri malis praesentibus, si contingeret declarari, Quaesnelli propositiones in sensu Calvini & Jansenii, non Augustini, Thomae & Thomistarum damnatas esse; negare omnino non potest magnum remedium praesentibus malis jam datum esse; dummodo eo uti vellent Theologi; quandoquidem Clemens XI. ad alias etiam haereseis, nedum ad Jansenii & Calvini nos remiserit, dicens: *Omnes & singulas propositiones praesentatas tamquam . . . variasque haereseis, POTISSIMUM illas, quae in famosis Jansenii propositionibus . . . continentur, manifeste innovantes, respective . . . damnamus & reprobanus:* cum in Const. Pastoralis officii declaraverit eas non esse damnatas in sensu Thomistico; idemque postmodum longe luculentius Summi Pontifices Benedictus XIII. pia mem. & Clemens XII. fel. reg. denuo declaraverint, prout dictum aliquoties est, ac iterato repetetur.

XIII. Quod Quaesnelli propositiones in se ipsis spectatae sint ambiguae & aequivocae, probat difficile esse, ex ipsis met propositionibus sensum determinare: sed nonne aliunde, puta, statu & scopo auctoris, aliis ejus operibus, ex antecedentibus & consequentibus, ex connexionem unius cum altera propositione, ex circumstantiis temporum, & errorum qui vexant Ecclesiam, & a

certo personarum genere propugnari sciuntur, aliquid haberi potest? Ubi nunc Ars critica, qua muniti Theologi hodierni illi, in ipsis remotionibus antiquitatis tenebris clare vident? Illane ad conspectum Constitutionis Unigenitus, velut ad solis ortum tenebrae, ex orbe literario subito evanuit? Ubi nunc nasutuli illi Piliastores, qui non ita pridem antiquos Patres, tamquam nugivendulos, artis critica ignaros &c. despiciebant? Vaser, dolofus, acutus, lubricus, tortuosus fuit Pelagius, fuit & Celestius in suis doctrinis; sciunt tamen Augustinus Errores eorum reterege: quidni & possint idem, Theologorum saltem Primipli, circa Quaesnellum, si offensam & tritam ab Augustino viam; de qua aliquid capite sequenti; velint insistere? Quid dicam! Virtia sunt clara ubi vexandus, quem invidis oculis aspiciamus: (invidia nihil oculatus) omnia sunt obscura, si sit damnandus, quem nimio amore prosequimur. Amore nihil caecus.

XIV. Jam, quod alium sensum experiantur Thomista, alium Molinista in Quaesnelli assertionibus, id admitti potest quoad vulgum (nam Scholae etiam vulgum suum habent) non quoad cordatiores & solidos Theologos. Unde propositionem illam Decimam, quam Auctor exempli causa proponit: (3) *Dei gratiam nihil impedire potest aut retardare, nedum Thomista;* sed etiam primariè ex adversariis, saltem aliquando, de gratia necessitante Janseniana intelligunt. Vulgo autem isti Theologorum, vel Quaesnellianorum gregi, qui Thomisticum gratia seipsa efficacis ac praedeterminantis sensum, in propositione illa, post tot Pontificum Oracula, damnatum proscriptumque jactant aut etiamnum jactant, reponunt Thomista verba inter Canones Ecclesiae relata 24. quaest. 1. *Hec est fides,* (doctrina) *Papa Beatissime, quam in catholica didicimus Ecclesia (Schola Thomistica) quamque semper tenuimus: in qua si minus periret, aut parum caste forte aliquid postum est, emendari cupimus a Te, qui Petri Sedem & fidem tenes. Si (cum) autem haec nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur (comprobata sit) quicumque me (nos) culpae voluerit, se imperitium vel malevolam; non me haereticum (nos haereticos) comprobabit.* Aut cum Clemente XI. in Const. Pastoralis officii reponunt: *Nisi excocaret eos malitia eorum, ac nisi diligerent magis tenebras quam lucem, ignorare non deberent sententias illas, ac doctrinas, quas ipsi cum erroribus per Nos damnatis confundunt, palam, & libere in CATHOLICIS SCHOLIS, quam post editam a nobis memoratam Constitutionem, sub oculis nostris doceri, atque defendi; illasque propterea MINIME per eam fuisse proscripserat.*

XV. Ad exempla explicacionum olim in quibusdam casibus datarum, varie responderi potest. Generaliter iis omnibus respondeo, 1. ad hominem, ut ajunt: Quod olim (si credimus Neotericis) Patres & Theologi carebant arte critica, quae hodie adeo communis est, ut nec feminum sexum praetereat, velut alter spiritus propheticus Montani. Hinc antiqui poterant magis indigere explicacione quam moderni. 2. Pricis temporibus utilius erat dare magis distinctas verborum & sententiarum explicaciones, quam modo solet. Quippe Patres illi tanta cum submissione recipiebant definitiones & resolutiones Apostolicae Sedis, ut, quantumvis ipsi existimassent aliquid esse nigrum; (ut sic dicam) si tamen Pontifex Romanus declarasset illud idem album esse, parati erant iudicio abjecto proprio, amplecti, ac sequi Apostolicum. Testis tam admi-

ra-

rabilis subjectionis in Viris illis Sanctissimis & Doctissimis erit nobis Hieronymus ad Damasum in hac verba scribens : ( 1 ) *Descerne si placeat, obsecro, non simodo tres Hypostasises dicere, si jubeatis: existimabat tamen ipse tacendas esse tres hypostasises, paratus se iudicio submittere Pontificis. Ratio erat, quod firmiter crederent Pontifices etiam cogi, ad dicendam veritatem, a Deo. Audiamus de eo Augustinum differentem. Postquam dixisset, Dominum providisse ( 2 ) ne, dum se boni putant malorum permixtione culpam, per humanas & temerarias dissensiones, aut parvulos perdant, aut parvuli pereant: ( addit ) Quod usque adeo celestis Magister cavendum praeceperit, ut etiam de praepositis malis plebem securam faceret; ne propter illos doctrinae salutariae CAETHEDRA deferretur: in qua COGUNTUR etiam mali bona dicere. Nequa enim sua sunt quo dicunt, sed Dei; qui in CAETHEDRA UNITATIS doctrinam posuit VERITATIS. At vero defacto, postquam nova doctrina, unde, Cypriano teste, haereses omnes oborta sunt & nata schismata, apud quosdam invaluit: postquam aliqui docere non venturum, fieri posse ut Romanus Pontifex toti Ecclesiae haeresim credendam proponat, quae necessitas aut utilitas esse poterit petitarum declarationum; dum obediens Ecclesiae filii eas non exigunt; inobedientes non sunt amplexuri? 3. Paucis illis exemplis oppono, quod incomparabiliter pluries damnatae sint propositiones errorum sine explicatione ulla: uti novissime patet in damnatione Molinos, libri Maximes des Saints, & innumerarum propositionum plus iusto rigidarum & laxarum: ex prop. Wicleff & Huz in Constantiensi Synodo damnatis; Lutheri a Leone X, quamquam etiam Lutherus postulare explicationes, uti legitur Tom. 2. ( 3 ) operum eius, Bullae Leonis X. Expositio, inquebat, ut absolute non respectiva, distincte non confuso, clare non obscure, singulariter non in genere dicant quis ( ex articulis respectiva damnatis ) sit, & quis non sit haereticus. 4. Quod experientia magistra didicerit Ecclesia, explicationes hae temporibus parum prodesse; quia induratum est multorum jugulum. Patuit hoc in damnatione quinque propositionum Janfenii, quae absolute, distincte, clare & singulariter damnatae fuerunt: & nihilominus usque in hodiernum diem inveniuntur illarum defensores. Didicit, inquam, Ecclesia quod petere explicationes, sit hominum non discere, sed tentare, & Ecclesiam interminabilibus questionibus, si possent, involvere cupientium: non ut obediant, sed ut criticae suae exercendae materiam habeant: quod tum praesertim timendum est, quando Pontifici lex praescribitur, & distincta, individua, claraque explicatio, ut quis in singulis damnatus sit sensus, quis relictus indeminis, quae cuique propositioni afficta sit nota, Theologis innotescat, postulari. 5. Ea quae in citatis casibus datae sunt explicationes, partim jam datae sunt in casu Quesnelli: partim ad eum casum faciunt nihil: nec omnia ita sunt, uti referuntur, acta; quod per singula leviter discurrendo, ostendam.*

XVI. Nempe *epistola Pauli Samosatani* in canonem transtulit postquam, ut scribit Eusebius Caesariensis, accurate pervestigatum est ( addit *Theologia Supplex*: in collationibus atque tractatibus ) *quoniam bis verbis subjecta esset sententia*. Clarius Natal. Alex. in Centurio Suffragio post differt. 12. ad Sac. XIII. & XIV. par. 2. Niceni Patres, inquit, *Vocem quidem verum expoluerunt,*

*sed in collationibus atque tractatibus, non in Symbolo, non in anathematismis, id ab ipsis praestitum.* Similis explicatio neglecta non fuit in casu Quesnelli, est in anathematismis, dico, Constitutione Unigenitus, non fuerit inserta. Testis non minori fide dignus ac Eusebius Caesariensis est ipse Clemens PP. XI. in Condit. Unigenitus §. Hinc adspirante. in Brevi Pastoralis officii §. 2. & iterum in Epistola ad Archiep. & Episcopos Galliae data. ( 4 ) Testis est Auctor Vitae Clementis XI. ex Secretoriis actis collectae. Hic lib. 4. num. 36. ita scribit, . . . . . „ Spectata morum integritate, eraditione, doctrina, divinarum rerum peritia, & ab omni partium studio alieni deleiti censoros. Frequenter habiti confessus, diutissime singuli referentes, ac differentes auditi. Aliis insuper alii adiecti, quorum exacta, constanti, ac etiam benigniore delati voluminis censura, tantum religiosissime veritati tributum, quantum ipse met auctor in pari, sed aliena causa, vix tribuisset, si integerrimi iudicii delectus esset affessor . . . „ Post diligentissimam ergo integro biennio continuatam assertorum excusationem; tribus etiam, atque viginti praecipuis hoc anno institutis Cardinalium, ac doctissimorum Theologorum consessibus, quibus ipsemet Pontifex Maximus praesuit: in iisque libri perniciem cura longe exactissima investigavit, censoria in eundem iudicia audivit, expendique: Sexto Idus Septembris centum atque unam sententias, & notatis libris excerptas damnavit. „ Non ergo defunt explicationes; in casu, similes explicationibus in Nicæna Synodo, in collationibus atque tractatibus, datis: frustra quae hae nobis opponuntur.

XVII. Explicationes a Gelasio PP. si datae in causa Eutychemorum, non sunt ad propositum: quippe datae sunt a Gelasio, non ut Pontifice, sed ut particulari doctore. Binius ad verba illa vitae Gelasii: *Hic fecit quinque libros adversus Nestorium & Eutychemum*: „ Hoc grande & praclarum volumen fuisse testatur Gennadius de Scrip. Eccles. cap. 14. his verbis: *Gelasius Urbis Romae Episcopus scripsit adversus Eutychemum, & Nestorium grande & clarum volumen, & tractatus adversariorum Scripturarum & Sacramentorum limato sermone.* Unde patet quod libellus ille de duabus naturis contra Eutychemum & Nestorium, in Bibliotheca SS. Patrum extans, sicque incipiens: *Necessarium quoque fuit &c.* Gelasio R. P. attribui non possit; siquidem parvum dumtaxat Opusculum sit. „ Vide Pofsevinum in Apparatu V. *Gelasius*, & Tom. V. Conc. Labbei col. 283. Natal. Alexan. Hist. Eccles. Sac. V. cap. 3. art. 19. Atque hinc forte Gelasio Scriptoribus Ecclesiasticis adnumeratur. Non est ergo ad rem, exemplum Gelasii, dum postulantur explicationes a Pontifice ut Pontifice. Quis enim a Pontifice postulet, ut *grande & praclarum volumen edat?*

XVIII. Hormisdam Papam Scytharum Monachorum assertorem: *Unus de Trinitate crucifixus est carne*, absolute, nullaque data sensuum distinctione proscriptisse, asserit pag. 22. haecque ipsam propositionem in catholicum sensum intexam Joannem II. R. P. approbasse & catholicam dixisse. Labitur hic non semel Auctor ille, dum adeo asseveranter pronuntiat, Hormisdam PP. proscriptisse, & quidem absolute, nulla data sensuum distinctione propositionem illam: duosque nobis exhibet Romanos Pontifices, unam eandem.

( 1 ) Epist. 57. ( 2 ) Epi. 105, alias 166. e. 5. n. 16. ( 3 ) Edit. Jene. 1537. f. 303. ( 4 ) 20. Nov. 1716.

demque propositionem modo huc, modo illuc, veluti cereum quemdam nasum, ut in proverbio est, inflectentem. Legat Natal. Alexandrum Hist. Eccles. Sac. 6. cap. 3. art. 2. aut si ille displicet, Bossuet in Defen. declar. Cle. Gall. par. 2. l. 14. c. 15. aut etiam Maxentii infensissimi Hormisdæ hostis scriptorem, reperiet Summum illum Pontificem nihil praepere voluisse in causa Monachorum Scytharum definire; hosque, priusquam sententia proferretur, Roma audivisse. At vero Joannem II. propositionem approbasse scio: ubi vero diversos ejusdem propositionis sensus ( de quo in praesenti agitur ) dederit, nullibi reperio. Rursus ergo exemplum hoc ad rem nostram facit nihil. Sane si quidquam Hormisdas proscriptit & improbavit, non tam propositionem quam Monachorum Scytharum Intemperatam audaciam, omnes ad eam formulam adstrictos esse praetendunt, nimiumque vitiligandi cacochem, improbat; nil dogmatis: de quo nulla, sed de verbis tandem erat altercatio; prout apud Nalem, videri poterit. Hist. Eccles. Sac. 6. cap. 3. art. 2.

XIX. Sequitur de Honorio, cujus epistolae ad Sergium, memoratae absolute, ( 1 ) inquit, damnatae sunt in Sexta Synodo; Joannes tandem IV. explicato obscurarum epistoliarum sensu, erroris absolvit, ejusque Apologiam ad Constantinum Imperatorem, Heraclii filium destinam adornavit. Quidquid sit de damnatione Honorii ( id enim in praesenti discutere non vacat ) nihil facit ad rem nostram. Pro quo observatum velim, difficultatem seu obscuritatem circa epistolas Pontificum ex duplici capite oriri posse: nimirum, ex ipsismet epistolis vel scriptis Pontificum: vel ex malitia, improbitate, iniquitate aut inscitia repugnantium eorum scriptis. Si primum: aequum & iustum videretur ut subsequentes Pontifices memoriam praedecessorum suorum, quoquo modo legitimo, criminis infamatione liberent. Causa enim S. Sedis, imo totius Ecclesiae agitur, dum de errore Summi Pastoris tractatur. Si vero ex secundo oritur fonte, nulla sufficienter declarationes, Quapropter non tam declarationibus, quam corrigendis pravæ rebellionis affectibus & passionibus insudandum. In causa Honorii ex primo capite, ex epistolis dico ipsius met Honorii, & quidem scriptis non ad universam Ecclesiam, sed personam particularem, obscuritas oriebatur, facte adversario; quam proinde laudabilissime Joannes IV. Apologia edita elevavit. Verum in nostro casu tota confusio, non ex Pontificio decreto, sed ex malignitate oritur adversariorum, qui nolunt intelligere ut bene agant; atque ad similitudinem serpentium oburant sibi aures, ne audiant voces incautantium, & incantantium sapienter. Reflecto est Episcoporum Galliae, in Vita Clementis XI. ( 2 ) Quo tempore Card. Noaillius „ Mandatum Sextili mense Lutetiae promulgavit, cujus obtentu Constitutionem *Ubi* „ *genius excepsit*, publicasse; tum etiam ab aliis „ Diocesano jure sibi subiectis Christianidelibus suscipi, atque servari videri voluit impetrasse . . . „ ( 3 ) Non ob id ceterorum Antistitum, pro privato ac publico bono laborantium caritas torpuit. Quandoquidem petio expositionis Bullae Unigenitus a Pontifice Maximo evulgandae constantissime rejecta est, QUOD TRICE NON EX PONTIFICIO DECRETO, SED EX PARTUM ARTIBUS ORIENTUR, VEL INSCITIA. „ Ecce ergo factum Honorii Gal-

Serry Tom. V.

lorum Episcoporum iudicio, ad praesentem casum, juxta dicta, non spectat.

XX. Videamus utrum factem ultimum exemplum, quo utitur, feliciter adduxerit. „ Cum „ Benedictus II. ( 4 ) inquit, binas istas propositiones absolute damnasset ( In Deo voluntas ex voluntate procedit . . . Christus sine „ bus substantiis constans est ) turbatis subinde „ Hispanorum Praesulum animis, qui has ipsas „ propositiones ab Augustino, Ambrosio, Cyrillo „ lo, Fulgentio, recto sensu asseras, in Concilio „ ho Toletano XV. judicaverant; Sergius hujus „ nominis I. laudatorum Patrum sensum innoxium „ dixit, & ab omni censura liberum pronuntia- „ vit; ut refert Rodericus Toletanus Archiepiscopus „ pus lib. 3. de rebus Hispaniae c. 14. „

XXI. Argumentum hoc olim obiectum Pontificibus Romanis, dissolvit noster Gravina ( 5 ) in Cherub. Parad. item Piccinardus ( 6 ) noster. Sed illi solum referunt, ab adversariis obiectum, quod Liber Juliani a Benedicto II. interdictus vel suspensus fuerit: quo supposito, respondet Piccinardus, huic argumento vulgari ac nota distinctione, agnita etiam a Caramuele ( 7 ) occurrere posse facillime. „ Aliud nimirum esse interdicere seu suspendere „ dere lectionem, seu evulgationem libri, quous- „ que ingruens habitatio deplatur; aliud absolute „ te doctrinam libri proscribere, seu damnare. Et „ tante primo potuit utique postea Benedictus „ II. Juliani interdictum aerea opus sublati aequivo- „ vocis, relaxare, quinimo & fudare legendum, „ absque ulla in decretando inconstancia; quam „ Rodericus injuste imponens Pontifici, non im- „ merito calumniam culpatus est a Baronio ad annum 688. & a Binsio in notis Concilio 15. Toletano praesitis. Nec ultra alius verba Concilii „ hii Toletani pro suomet Antistite Juliano te- „ stantur; nisi praedictam, jam semel admissam, „ ex libri lectione, et verba aequivoce, Pontificis „ cis habitationem: est vel in ipso Roderici man- „ nuscripto nec ea verba de Benedicto II. perlegan- „ tur, sed varia longe, uti & Ambrosius Mo- „ rales observat lib. 12. cap. 58. „ Hac Piccinardus „

XXII. Non latuisse ista Auctorem *Theol. Suppl.* ex eo colligo, quod loco libri interdicti seu suspensi, & postea relaxati; de quo procedit haec solutio; exhibeat duas propositiones absolute damnatas prius, & postea approbatas in Juliani libro: sicque eludit hanc Piccinardi solutionem, & spem ingerit refractariis futurum forte aliquando, ut propositiones hae diebus damnatae, postmodum approbentur. Res ergo ista non levis momenti est; adeoque paulum tractanda, ne vana spe quispian infeliciter deludatur. Rodericus Toletanus, in quo se fundat Auctor *Theol. Suppl.* aliud dicit nihil, quam: ( 8 ) „ Liber de tribus substantiis „ quem dudum Roman miserat Primas Sanctissimus Julianus, & minus caute tractando Benedictus „ Papa Romanus indixerat reprobandum „ ob id, quod voluntas genuit voluntatem. Sed „ Sanctus Julianus viridicis testimoniis in hoc „ Concilio ad exactionem praefati Principis: „ ( *Aegiae Regis* : ) per oracula eorum quae Romanam transierat, verum esse firmavit & Apologiticum fecit. . . . Quod Romanus Pontifex Benedictus digne & pie recipiens, cum „ his legendum, indixit atque acclamando: *Ecce „ una Deus in fines terrae*, lectum saepius notum „ fecit. „ Ex hisce verbis ad summum extendi „ posse, librum Juliani fuisse suspensum aut etiam „

( 1 ) Pag. 23. ( 2 ) Lib. 5. n. 46. ( 3 ) Nu. 47. ( 4 ) Pag. 23. ( 5 ) Lib. 1. c. 5. nu. 7. ( 6 ) Lib. 1. edit. Ven. Lib. 3. de rebus Hisp. cap. 13. ( 7 ) Theol. Fundam. Fundamento 5. ( 8 ) Conc. Labbei T. 8. Col. 20.

prohibitorum, adversarii, quos supra diximus, videntur agnovisse, dum aliud nihil inde concluderant. Verum propositiones absolute damnatas, quod asserit Theol. Suppl. nulli eorum in mentem venit. Natalis Alexander Hist. Eccl. Ser. VII. cap. 1. Hist. art. 6. in fine. Benedictus Secundus . . . Hic panorum Episcoporum litteras cum accepisset e Synodo Toletana XIV. datas . . . quosdam in iis propositiones expositione indigere monuit, quarum haec una erat: in Deo voluntas genuit voluntatem. Altera: Tres sunt in Christo substantie. Id constat ex Concil. Tolet. XV. celebrato anno 688. Juliano Tol. Archiep. Praeside, in quo has propositiones exponunt & tuerentur. Ubi nihil de damnatione absoluta habetur. Solummodo colligi inde potest quaedam Pontificis habitatio: qua per expositionem sublata, liber permissus, imo laudatus est.

XXIII. Longe clarius & efficacius id probatur ipso Concilio Toletano XV. Ubi sic lego: (1) Post hujus igitur pie confessionis prolata de votis vocibus regulam (Verba sunt Conc. Toletani XV.) ad illa nos illico convertimus. contumacia capitula, pro quibus MUNIENDIS ante hoc biennium beatae memoriae Romanus Papa Benedictus, nos litterarum suarum significatione monerat. Quae tamen non in scriptis suis annotata CURAVIT; sed homini nostro VERBO renovanda injunxit: ad quod illi iam eodem anno sufficienter, congrueque responsum est. Loquuntur PP. de duplici illa sententia, quam Theol. Suppl. absolute fuisse a Benedicto II. damnatam asserit. Sed quae, obsecro apparentia absoluta damnationis huius in verbis apparet? MUNIENDAS injunxerat Benedictus, aliqua explanatione, aut Patrum auctoritate, ne novi quidpiam viderentur docere. Et quidem Benedictus, non in suis scriptis annotanda curavit, sed hominum ipsorum VERBO renovanda injunxit. Nonne haec sonant amicabilem & paternam potius admonitionem, quam absolutam propositionum procriptionem? Non usque adeo incurii sunt Romani Pontifices, ut propositiones a se absolute damnatas, nolint litteris suis inferere, ut ab omnibus sollicitius caveantur; praesertim dum iis ipsis scribitur, quae tangit damnatio. Nihil tamen tale fecit Benedictus; sed verbotenus curavit eos moveri de MUNIENDIS illis capitulis: quod ante biennium ita obiter fecerat; ut hic rursus idem praestandum fuerit. An putamus Pontificem, si absolute sententias damnasset, tam exigua satisfactione fuisse placandum?

XXIV. Atque, ut dicam quod sentio, ne liberum quidem Juliani existimo fuisse suspensum multo minus prohibitorum a Benedicto: quippe & hoc meretur, velut res non pravi momenti, litteris Pontificis inferri ac notari, non verbotenus insinuandum homini ipsorum committi. Confirmari dicta possunt ex iis quae sequuntur in Conc. Tolet. XV. (2) Has sane inquit PP. Toletani, quasque specialitates; (duas supradictas nimirum, & hinc haecenus ignotas;) Capitulorum, quae ut a nobis SOLIDA efficerentur HORTATI sumus: quid a quo fuerit doctore prolaturum, congesto in uno responso nostra libro, catholicorum dogmata Petrum, ante hoc biennium parti illi porreximus dignoscendum. Si Romani solum eos horati sunt ut SOLIDA efficerentur ea capitula: nec liber fuit prohibitorum, multo minus assertiones ipsae, alias non ea solidare, sed deserere, & abdicare jussi fuissent.

XXV. Nec illud parvo est dicendum, quod sub

Sergio I. hac difficultas demum sublata sit. Quamquam enim hujus tempore Pontificis Conc. Tolet. XV. fuerit celebratum, cum tamen dicant Patres, se ante biennium responso suas Romam misisse, & eodem quo moniti erant anno illi, id est Benedicto II. sufficienter congrueque responsum esse; sequitur, tempore Benedicti difficultatem omnem sublata fuisse. Hoc indicat Garzia Loaisa in notis ad Conc. Tolet. XV. ita legens & proferens verba Roderici Toletani: Quod Romanus Pontifex Benedictus digne & pie recipiens: (primam videlicet scripturam:) cunctis legendum indicavit, atque acclamando: LAUS TUA DEUS IN FINES TERRAE, lectum sapienter notum fecit &c. Scriptum autem secundum Toletani Conc. XV. sincerum esse, aut fuisse Romam transmissum, probabile non videtur: L quia nulla supererit ejus transmittendi necessitas, sublatis jam difficultatibus sub Benedicto II. ante biennium: II. Quod non intentione placandi summum Pontificem, sed satisfaciendi suo Regi Aegiae compactum sit, dicente Roderico Toletano: (3) In hoc concilio ad examinationem praefati Principis per oracula eorum quae Romam transmissas, verum esse firmavit &c. III. Quia verosimile non est idem scriptum bis fuisse Romam missum: at Julianus secundo scripto per oracula eorum quae Romam miserat, in Concil. Tolet. XV. veras esse firmavit propositiones suas: ut ex verbis mox relatis Roderici patet. IV. quia occurrunt eo in scripto secundo certa phrasae, quas non est verisimile Hispanos Antiquitates voluisse Papae impingere: Tales sunt: (4) Hic jam quisquis sapiens manserit intelligit non nos hic errasse, sed illos festinanter invidiose lectionis intuitu selesisse. Et iterum: Ad secundum quoque retractandum capitulum transeunt, quo idem Papa incauto nos dixisse putavit, tres substantias in Christo Dei filio praesertim, sicut nos non pudebit quae vera defendere; ita forsitan quosdam pudebit quae vera sunt ignorare. Rursus: (5) Jam vero si post hoc . . . in quocumque dissentiant, non jam cum illis est amplius contendendum, sed majorum iudicium amatoribus veritatis responso nostra submissis; etiam si ab ignorantibus emulis consensu indocilis, digne & pie Pontificem illud recepisse, cunctis legendum indicavit, atque acclamando, Laus tua Deus in fines terre, lectum sapienter notum fecisse (quae omnia de Apologetico Juliani narrat Rodericus) nunquam induci potero ut credam. Maneat ergo, Benedictum II. nec librum Juliani prohibuisse, multo minus hinc illas propositiones absolute proscriptisse; sed muniendas, roborandas, solidandas, explanandas monuisse. Hoc eodem anno a Juliano factum, & a Pontifice eodem illi acclamatum fuisse. Nolim tamen huic ultimo nimium adhaerere. Fieri enim potuit ut primum scriptum ad Benedictum directum, eo paulo post defuncto, non quidem Sergio I. sed Joanni V. ejus Successori immediato traditum, ab eo illi acclamatum, totumque negotium ejus tempore sopitum fuerit.

XXVI. Quid ergo sibi vult, inquit, Rodericus dicens, quod librum Juliani Benedictus II. indicavit reprobandum? Resp. To reprobandum idem hic valere, quod iterato probandum, id est muniendum, solidandum, explanandum, ut ex verbis Toletani Conc. supra adductis colligitur. Sic quoque PP. Concilii Tolet. dicunt: Ad secundum quoque retractandum capitulum transeunt, ut id est, iterato tractandum, non reprobandum.

XXVII.

XXVII. Erit tamen qui dicat, hoc exemplo constare, Romanos Pontifices quandoque excolere culticem; correptoreque minus aliquando rem penetrare quam correctos. Sed perperam utrumque inferatur: imo vero ostendit hoc factum Benedictum II. summam Theologiae peritiam, & mysteriorum illorum profundissimam penetrationem: ut etiam Natalis Alex. fateatur, splendore virtutum, & Divinarum Scripturarum scientia parem maxime dignitatis fuisse. Notat siquidem S. Thomas (1) exponens dictum Augustini. Sapiencia de Sapiencia, sicut essentia de essentia (similia adducebat Julianus pro sua justificatione) quae ad exprimendam unitatem essentiae & personae, Sancti Doctores aliquando expressius locuti sunt, quam proprietates locutionis patiatur. Unde hujusmodi locutiones non sunt extendende, sed exponende, ut scilicet nomina abstracta exponantur per concreta, vel etiam nomina personarum &c. Quinimo in articulo illius corpore S. Thomas; summus utique Theologus, si quis alius; observat: Quod circa hoc erravit Abbas Jaachim, asserens quod sicut dicitur, Deus genuit essentiam . . . Sed in hoc deceptus fuit: quia ad veritatem locutionis non solum oportet considerare res significatas, sed etiam modum significantium &c.

XXVIII. Illius etiam propositionis: Tres sunt in Christo substantiae, expositionem, merito Benedictus postulat; ob periculum aliquale Nestorianismi; ad quem reducitur opinio ponentium corpus & animam separata, esse unita verbo; quod insinuare videtur propositio illa. Lege S. Thomam 3. p. q. 2. a. 6. c. Alii vero, inquit, volentes servare unitatem personae, posuerunt Christi animam non esse corpori unitam, sed haec duo separata ab invicem, esse unita verbo accidentaliter, ut sic non cresceret numerus personarum . . . Utraque autem harum opinionum, incidit in haeresim Nestoriani &c.

XXIX. Quapropter Benedictus II. cujus acutissima penetratio intimas rerum fibras pervadebat, merito de his MUNIENDIS monuit; utque SOLIDA efficerentur, tum Julianum, tum Hispanos Episcopos HORTATUS est: ne cui aut calumniandi, aut errandi ansam praerent. Summum illud acumen in Epitaphio ejusdem Sancti Pontificis, a Paulo de Angelis in notis ad Basilicam Veterem Vaticanam relato, S. Sergius PP. (si tamen is vere hujus Epitaphii Auctor est) ita expressit.

Magna vult, Benedicte pater, monumenta reliquis  
Virtutum titulos, a decus, atque dolor!  
Fulgens in speciem mentis splendore coruscas  
Flura sed exiguo tempore cepta fluunt.  
Cuncta Sacerdotum praesentia munia complex  
Et quo quisque dono claruit unus habes. &c.

Quamquam minus naturali capacitate, quam Spiritus Sancti, Pontificibus in Petro promissa assistentiae confidamus atque innotamur Catholici: ob quam non incongrue Ecclesia apatur, illud Cant. 6. Natus tuus sicut turris quae est in Libano: quod exponens S. Gregor. ait: (2) Nimirum S. Ecclesia (cujus caput, in quo natus, est Pontifex) quae ex causis singulis testamenta prodeunt per discretionem conspiciat: & ventura virorum bella ex alio deprehendat. Descendant hinc omnes, etiam Episcopi, Romanis Pontificibus non temere obstrepere; sed eis se humiliter subicere: quibus in Petro dictum est: Duc in altum Luc. 5. Quae verba explicans S. Ambrosius lib. 4. in cap. 5. Luc. ait: Eisi imperatur ut laxent vela sua, soli tamen Petrus Tom. V.

vo dicitur: Duc in altum, hoc est, in profundum Disputationum.

XXX. Patet ergo exempla explicationum a Theol. Suppl. obiectarum partim falsa esse, partim ad rem praesentem nihil facere: explicatio-nesque; ut in casu vocis *substantiae*; diversorum sensuum ipsarum propositionum damnatarum, prorsusquam Constitutio Unigenitus in lucem ederet, datas esse in tractatibus & collationibus Eminen-tissimorum S. R. E. Cardinalium, Praelatorum ac Theologorum, ad examinandas propositiones a Clemente XI. deputatorum; id est, instar earum quae in casu *substantiae* datas fuere. Nolim tamen ire inficias, occurrere casum posse, quo utiles, imo necessariae esse valeant declarationes circa aliquam Constitutionem, saltem, ut ab injusta calumnia liberentur innocentes. Verum in hoc etiam a Summis Pontificibus provisum est, dum Sanctos Ecclesiae Patres ac Doctores Augustinibus & Thomam, ac illustrem eorum Scholam ab injusta calumnia liberantur: nec desinant, spero, innocentibus succurrere, si ulterius opus fuerit. At vero leges praescribere Summis Pontificibus; dicere, eorum muneris & officii esse, has vel illas declarationes edere; debere eos tales, aut tales explanationes dare; id certe attentare nunquam ausim: etiam edito typis anonymo libello.

XXXI. Sanctorum Patrum exempla, qui necessitates & persecutiones quas patiebantur nuda exponentes Fidelium Patri Romano Pontifici, remedium adhibendum ejus relinquebant arbitrio, sequi securus erat. S. Basilus Epist. 52. ad S. Athanasium scribit: (3) Visum est autem mihi consentaneum, ut scribatur Episcopo Roma, ut quae hic geruntur consideret, & sententiam suam exprimat &c. S. Athanasius & Universi Aegyptiorum, Thebaidorum & Lybionum Episcopi, in Sancta Alexandria Synodo (ut fertur) congregati, sequentia scribebant ad Felicem Papam. (4) Quia Apostolicis vestris Beatissimo visceribus commata super tribulationem nostram, nos omnes hortata est ad tuitionem Catholicam & Apostolicam Ecclesiam . . . ideo, Pater Beatissime, quia semper Antecessores nostri, & nos a vestra Apostolica Sancta Sede auxilium hausimus, & vestri Vos curam habere agnovimus; praesertim Apostolicam & summam experimus, juxta Canonum Decreta, Sedem: ut inde auxilium capiamus; unde praedecessores nostri ordinationes & dogmata atque sublevationes traxerunt. Ad eam quoque quasi ad Matrem recurrimus, ut ejus uberibus nutriamur: quoniam non potest Mater oblivisci infantem suum: sic & Vos nolite oblivisci nos. Vobis commissos. Item cum Episcopos Aegypti ad S. Marcum PP. (5) Ad Vos pervenisse non dubitamus, quanta & qualia ab haereticis, & maxime ab Arianis quotidie patimur. Quoniam in tantum ab eis persequimur, ut etiam vivere jam nos tedeat . . . Vere novimus Apostolatus Vestri cor gratia Spiritus Sancti in tantum esse accessum, ut omnibus oppressis succurratis. Quanta magis nobis, qui licet exigui Ordinis, tamen Vestri sumus, Vobisque obdientes & sumus & esse semper volumus. S. Hieronymus ad Damasum PP. (6) Nunc igitur pro dolor! post Niconam fidem, post Alexandrinam junctio pariter Occidente Decretum, trium Hypostasem ab Arianorum Praefule, & Campensibus, novellum a me homine Romano nomen exigitur. Qui, quae ista Apostoli prodidero? Quis novus Magister genitum Paulus haec docuit? Interrogamus, quid tres Hypostasem posse arbitrentur intelligi? Tres personas subsistentes, ajunt. Respondemus nos ita credere. Non sufficit sensus: ipsum nomen effragians, quia nescio quid

\*K k 2

(1) Tom. 8. Concil. Labbe col. 8. (2) Lab. T. cit. col. 14. (3) Lib. 3. de de reb. Misp. cap. 13. (4) Labbe I. cit. col. 10. (5) Labbe I. cit. col. 14.

(1) P. 1. q. 39. art. 5. ad 1. (2) De Cura past. c. xi. (3) Edit. Paris. 1618. (4) Edit. Paris. 1698. T. 2. fol. 675. int. Op. dub. (5) Edit. cit. l. 663. int. D. 3. dar. (6) Epist. 57.